Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41534918_0133

DE FRUCTU
INSTITUTORUM VITAE TUENDAE INSERVIENTIUM

COMMENTATIO INAUGURALIS

QUA

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE JENENSI

DOCTORIS PHILOSOPHIAE HONORES

DIGNITATEM JURA ET IMMUNITATES

DIE II. M. OCTOBRIS A. MDCCCLV

ADEPTUS EST

AUCTOR

JOHANNES HENRICUS HERRMANN

NOUMBURGENSIS.

HALIS

TYPIS EXPRESSUM SCHMIDTIANIS

MDCCCLV.

DE FRUCTU

INSTITUTORUM VITAE TUENDAE INSERVIENTIUM

SCRIPSIT

HENRICUS HERRMANN.

Principia atque incunabula instituti vitae tuendae inservientis, quo mortui tanquam superstites et vivi rei familiaris atque suorum civium curam agere videntur, in Anglia obveniunt, cum ille populus vitae usu et arte tritissimus celeriter cognovisset, quam magnam vim ejusmodi instituta ad publicam utilitatem salutemque promovendam exsererent et quanti fructus inde ad reipublicae felicitatem redundarent. Auctoritate Anglorum permoti Germani oculos converterunt ad instituta vitae tuendae inservientia, quorum usu explorato rem cum studio atque ardore quodam amplecti coeperunt. Proximis viginti quinque annis abhinc Arnoldi princeps nostratium fuit, cujus nomen ea re ad honorem celebritatemque perennem efferretur, qui Gothae institutum vitae tuendae inserviens constituit, fructum inde percipiendum ad pa-

triam suam translaturus. Cujus vestigia sequentes aliae passim urbes haec instituta imitabantur neque tamen utilitas eorum non ita civibus hucusque percognita et comprobata est, ut vitam multi tuerentur. E millenis enim vix unus hoc beneficio uti voluit. Quapropter a re non abhorrere videtur accuratius demonstrare, quatenus institutorum vitae tuendae inservientium fructus atque vis salutifera magni aestimari debeat. Primum vero utilitas eorum, quae vocatur, materialis spectanda est; deinde, quatenus moribus etiam bonis et honestis augendis accessiones inde fiant, facile demonstrari poterit.

Usum materialem his institutis promoveri ante omnia eo apparet, quod patribus familias adjumentum praebent certum et a fortunae temeritate liberum, quo morte suis abrepti familiarum commodis utilitatibusque prospiciant. Beatitas quidem illa, qua patres cum suis consortio arctissimaque familiaritate conjuncti perfruuntur, saepius, quo quisque majori diligentia rem suam familiarem curat, perturbatur tristitia quadam atque sollicitudine, si cui inciderit cogitatio isthaec: Quaenam sors aliquando, si quidem naturae debita reddidero, liberis meis obtinget dilectissimis? Nonne summa angustia premetur uxor vidua relicta, si forte praematura et improvisa morte cecidero? Tales et aliae hujusmodi cogitationes acerbitatis aliquid beatitati domesticae affundunt, cum non omnibus hoc datum sit, ut magnas pecunias sibi comparare

et conservare possint, quibus posteri vitam curis molestiisque vacuam agant. In hoc ipso vero instituti vitae tuendae inservientis cautio et provisio magna et admirabilis quaedam elucet, quod patri, quicunque vel minimis pecuniis parsimonia compendioque partis vitam suam tuetur, eam praebet consolationem, qua bono animo confidere possit, uxorem cum liberis orbatis a penuria intactas fore, etsi vel proximo die hora fatalis immineat. Itaque beatitas cum suis viventi non perturbabitur mortis intempestivae periculum cogitando. Curis atris vacuus somni dulcedinem captat, cum certus sit, vel non resurrecturi familiam instituti illius amica manu sublevatum iri, quae in patris inexorabili fato praerepti locum succedat.

Liberorum vero felicitas patri religioso et diligenti non in eo solum collocata videbitur, ut eos aliquando heredes relinquat pecuniae ad vitam sustentandam necessariae; id etiam multo magis ei curae cordique erit, ut ad munus officiumque, quod quisque sibi elegerit, probe fungendum probe erudiatur. Quod ut fiat, pecuniae adjumento etiam opus est, quae ex instituti vitae tuendae inservientis liberali fonte proficiscitur, quae larga manu praebebit, quodcunque ad literarum studium persequendum, ad artem qualemcunque addiscendam, ad mercatum instituendum, ad munus quodvis incipiendum necesse est.

Si quis infanti anniculo in dies ternos nummulos reservaverit, tuebitur ei pecuniam imperialium centenorum, quae solvenda erit, ut primum infans ille vitae annum vicesimum primum adeptus est. Itaque tam exili stipe, quae vel flocci pendi posse videatur, et tam exigna, ut ad extremum usque tempus contributa sexaginta imperialium magnitudinem non excedat, efficitur caput magnum neque contemnendum centum imperialium. Haud scio an quisquam alia via et ratione expeditiori et faciliori tale atque tam magnum emolumentum assequi putet. Quod tam perspicuum est et quasi in oculos incurrit, ut hominum acumini diffidere videremur, si de eo longius disputare institueremus. Quam saepe pecunia rebus pusillis futilibusque consumitur, quas infantulus taedio mox contemtas abjicit, cum hic perenne et invariabile quiddam expectari potest, cujus laetitia nunquam consenescat.

Attamen praeter religionem uxori liberisque debitam paterfamilias etiam providere debet, ne sibi inimicus et alienus esse videatur. Proh dolor! non raro accidit, ut patresfamilias vel pecuniis extremae calamitati angustiaeque reservatis ad salutem liberorum suorum constituendam uti non dubitarent, spe atque fiducia nixi, sibi a liberis bene collocatis senectutis columen et firmamentum fore. Heu! quam saepe falsa spe deceptos sero se experti sunt. Etenim verbum illud, quo dicunt, duodecim liberos non tam aptos

esse uni patri alendo quam unum patrem duodecim liberis, verum esse compertum est. Jam tristem et funestam sortem pater diligens prudentia praecavebit et quaerenti, unde sibi petat adjumenta, institutum vitae tuendae inserviens offert manum adjutricem, cum senectutis procurationem instituerit.

Cuicunque hoc a fortuna non denegatum est, ut pecuniis ditescat, facile curabit, ut senectuti decrepitae et inopi fons relinquatur bene secureque vivendi. Quorum tamen numerus perexiguus est. Quin multi hoc singulari fortunae favore destituti vitam transigunt — funesta sors, cui magnam etiam publicorum hominum, qui reipublicae muneribus fungendis adhibentnr, nationem adscriptam esse videmus. Salaria eorum plerumque ea sunt, quibus vitam liberaliter sustentes, magna autem liberorum frequentia penuriam vix effugias. Tum periculum est, tali rerum egestate imminens, ne homines in publico loco collocati, praesertim ex illorum numero, quibus senectutis alimonia publicitus e fisco non adhibebitur, miseria tristissima afflicti vitam extremam trahant.

Deus adjutor etiam hic e sinu instituti vitae tuendae inservientis offertur. Si quis, qui forte vicesimum quintum annum agens intrat munus publicum, exinde a munere suscepto cottidie novenos nummulos reservaverit institutoque cuidam vitae tuendae inservienti attribuerit, sexagesimum an-

num adeptus annuarium stipendium accipiet centenorum imperialium.. Nescio, an quis clarius ex alia re atque lucidius apparere existimet, magnum hominibus ex his institutis fructum utilitatemque emanare; attamen pauci tantum fuerunt, qui tam commodam expeditamque futurae suae vitae prospiciendi rationem inirent. Illorum quidem numerus, qui quotidie nonnullos grossos oblectamentis suis insumunt ad recreandam vim suam e gravi et arduo opere diurno, non parvus est; at ne unus quidem cogitat, se plurium centenorum imperialium jacturam facere, qui senectutis onus solaturi fuissent, si modo partem aliquam pecuniae juventutis illecebris effusae retinuissent.

Quantumcunque ad fructum vitalem faciunt instituta vitae tuendae inservientia, tamen exempla adhuc allata sufficere videntur, quibus omnis de eo dubitatio summoveatur. Quapropter paucis verbis agamus de bonis, quae ex illis institutis ad promovendam morum probitatem et honestatem efflorescunt. Primum instituta vitae tuendae inservientia opportunitatem praebent virtutis pulcherrimae illius patrum exercendae, quae tenero affectu et amore familiarium inest. Proh dolor citra omnem controversiam verum est, multos familiam ita condere, ut felicitatis ejus rationem quam ineant non 'cogitavisse videantur; tanti faciunt, quomodo uxorem cum liberis alant, ad morum honestatem eos humanitatemque erudiant, et post obitum a curis angustiisque defendant.

Quae segnities atque securitas non tantum existit inter homines infimo et abjecto loco natos, ut aliquis forte dixerit, sed etiam pervasit ad illos, qui eruditionis atque morum elegantiae praerogativam sibi vindicantes ita gloriantur ineptientes scilicet: Ego magno cum labore vitae ardua et aspera permensus sum, parentum cura et ope plane privatus; liberi mei non minus videant, qua arte fabrili sortem suam fingant. Talis modi homunciones admonentur ab instituto vitae tuendae inserviente, ne ab officio suo decedant, atque haud raro unus et alter resipiscens tempore futuram suorum sortem stabiliendam curat, cum intellexerit, quam sint opportuna et commoda, quaecunque ex illorum institutorum sinu proficiscuntur. Quisquis autem ita se vicit, hoc etiam affert emolumenti ad stabiliendam morum honestatem, quod suos assuefacit rebus cogitate faciundis et ad ordinis cujusdam normam exigendis.

Rerum suarum modus quidem et ordo multas gignit virtutes atque in ea familia, quae bona rerum disciplina viget, haud facile vitiorum libidinumque luxuria dominatur. Atque hanc quidem ordinis modique voluntatem instituta vitae tuendae inservientia familiis inferunt, cum patremfamilias adducant, ut temporibus certis atque diebus dictis pecuniam praefinitam solvat et iccirco tempore provideat, ne pecunia tempore suo deficiat. Incitamentum maximum autem observandi ordinis certi in eo inest, quod, qui vitam tuen-

tur, una pensione certo die non soluta omnem fructum pensionum ante solutarum deperdunt. Licet concedamus, etiam arcas, in quibus parci parsimoniae fructus deponunt, similem vim exercere ad mores familiarium colendos, tamen dubitari nequit, instituta vitae tuendae inservientia multo certius ad hunc finem perducere. Consilium parce vivendo servandi aliquid futuris diebus, quo tenuitas et egestas defendatur, a multis etiam perfici, nemo non confiteatur necesse est; sed quis est, qui certo dicere sibi videatur, omnes etiam perseveraturos esse proximo tempore in eadem agendi ratione? Arcae illae, quibus parci parta sua recondunt, non cogunt illum, qui iis utitur, ut idem facere pergat. Nam omissio solutionum, quas ante fecit, nemini detrimentum facit; atvero instituta vitae tuendae inservientia pensiones iteratim solvere cogunt, quod jactura ommissis pensionibus faciunda quotannis increscit, ita ut ordinis modique retinendi disciplina per ea firmo fundamento subjiciatur.

Simili modo instituta vitae tuendae inservientia opportunitatem praebent hujus diciplinae liberis a pueritia inculcandae. Si quis, ut jam supra dictum est, anniculo infanti circiter ternis imperialibus unoquoque anno solvendis caput centum imperialium vicesimo primo anno recipiendum tuetur, praeclare aget, postquam hae pensiones ad duodecimum usque annum pueruli factae sunt, si cum admonebit, ut pensiones, quae sequuntur, e suis pecuniis minusculis, quas

parsimonia lucratus est, ipse solvat. Inde duo consequentur: primum puerulus cupedia prohibetur, quominus pecunias parsimonia partes bellariis insumat; deinde ad puerulum pars curae, quae ad futuram ejus felicitatem stabiliendam pertinet, traditur, atque tempestive cavetur, ne levitas et incuria puerilis illa ad maturiorem etiam aetatem transferatur. Dummodo multi rei periculum facere vellent, mox videre possent, puerulum quemvis extimescere, ne omittenda pensionis solutione spem capitis recipiendi deperdat, atque eum syngraphas illas ad vitam tuendam pertinentes cum summa religione vereri et servare. Praeterea haec instituta magni momenti sunt ad perficiendam morum honestatem, quod sensum communem nutriunt, promovent et excolunt. Instituta vitae tuendae inservientia, quippe quae aeternis et immutatis legibus mortalitatis innitantur, ad veram suam perfectionem consummationemque pervenire non possunt, nisi primum multi ad ea juvanda et augenda concurrunt, deinde nisi ii, qui contribuunt ad eorum vim dignitatemque confirmandam, diversissimas terras incolunt, quae loco et regione disjunctae sunt. Quod ut efficiant, instituta vitae tuendae inservientia totum terrarum orbem tanquam reti circumventum tenent, et quo latiori ambitu extenditur, eo certiori spe confidunt, se diu duratura esse. Nulla alia re autem haec instituta efficiunt, ut incolae terrarum regione sua disjacentium et remotarum unanimi consensu hoc unum intendant, ut sibi invicem opitulando sortem suorum firmio-

rem et tutiorem reddant. Nemo negabit, id grave esse atque magnum. Nam quod hucusque vel iis non e voto cessit, penes quos deus summam imperii populorum potentiamque regiam esse voluit, scilicet ut terrarum disjacentium incolas et diversissimarum religionum assectas ad unum eundemque finem magnum consectandum incenderent, id contigit his institutis modestis nulloque fastu elatis. Quibus fieri non potest, quin omnes persuasum sibi habeant, hominem singularem per se impotentem esse, totius autem humanitatis catenae insertum multum conferre ad aeternarum divinarumque legum dignitatem augendam — res magna nec vilipendenda. Qui percognitum habet, se non solum condere posse felicitatem suam, sed partem prosperitatis suae aequalibus suis, qui vel inscii adjuvant, deberi, is non tantum submisso animo virium suarum arctos angustosque limites agnoscere discet, sed etiam, qui cum eo vivunt, cives honore debito colet, hominem denique magni aestimabit, quod homo est.

Licet fructus ex his institutis largiter redundantes non possint negari, fuerunt tamen, qui funesto quodam errore abrepti his institutis mali et inhonesti quidquam inhaerescere praedicarent. Dixerunt enim, hac ratione fiduciam deo debitam infirmari; hominem enim sibi videri posse supersedere divina ope ad fundandam suorum felicitatem. Si hoc par et consentaneum esset, id etiam concedi deberet, improbe agere

illum, qui conductorem fulminis aedium suarum culmini infigeret, quod hoc sibi arrogare velle videretur, ut numinis divini fata praeverteret et inhiberet caute circumspecteque agendo. Quid? patrem illum, qui ad lectum filioli desperati morboque fatali confecti medici opem imploraret, male fretum esse divino numine recte diceres. Fiducia in deo collocata non ea esse potest, quae numinis divini decretis victas manus porrigat, sed quae pro viribus faciat, ut deus propitius inceptis nostris obsecundet.

Utinamne instituta bonis auspiciis exorta his verbis male ominatis detrimenti quidquam capiant! Quae quidem firmissima sunt propugnacula, quibus leniantur et reprimantur fluctus illi turbidi et seditiosi pauperum miserorum, quos proletarios vocamus. Nihil his institutis est accomodatius ad sublevandam et posthac summovendam molem beneficiorum e tiscis urbanis regiisque distribuendorum.

HALIS,
TYPIS SCHMIDTIANIS.